

communem aliorum. Idque clare desumitur ex c. *Litteras*. 13. § fin. h. t. ubi ob magnam viri sævitiam, cui per sufficientem cautionem præcaveri nequit, decernitur, mulierem trepidantem non esse restituendam, etiam in eo casu, in quo cæteroquin restitenda foret: nam sævitia talis viri afferret uxori restitutæ damnum irreparabile, puta, si ab ipso graviter percuteretur, mutilaretur vel interficeretur.

93. *Nec tunc, quando quis ante suam spoliationem sponte renuntiavit dominio rei.* — Quæritur V. An propter renuntiationem dominii, cesset restitutio spoliati? Resp. I. Regula de restitutione spoliati ante omnia faciendâ, fallit ulterius, et patitur limitationem, quando spoliatus ante factam suam spoliationem sponte renuntiavit dominio rei per spoliolum ablata. Ita Abbas in c. *Accepta*. num. 4. et Barbosa ibid. num. 1 et seqq. h. t.; Menochius, ubi supra, n. 297, post Rotam decis. 7. et 16. *de Restit. spoliati.*, et alios. Atque hoc aperte colligitur ex c. *Accepta*. 3. h. t. ubi petens restitutionem beneficii ecclesiastici (idemque a pari, servata tamen proportione, dicendum de aliis rebus) non auditur, licet probet spoliationem, quando probatur, eum nullo metu aut vi coactum, sed spontaneè, prius illud beneficium coram legitimo superiore resignasse.

94. *Et quæ hujus ratio?* — Accedit ratio: quia per spontaneam renuntiationem remisit resignans omne jus suum, non solum quoad proprietatem (huic enim resignans cedit), sed etiam quoad possessionem, l. *Si quis vi*. § *Differentia*. ff. *de Acquir. possess.* Unde amplius non potest prætere spoliationem, ob defectum possessionis; neque, si inde quoquo modo dejectus fuerit, restituitur; cum facta proprio, sive ex spontanea renuntiatione, jam antea possessionem amiserit, licet adhuc corpore insistat. Siquidem interdictum *Unde vi* non competit, nisi ei, qui possessione sua actualiter habita spoliatus fuit, l. 1. § *Dejicitur*. et § *Interdictum autem hoc*. ff. *de Vi et vi armat.*

95. *Solvuntur contraria, et concordantur jura.* — Nec obstat textus in c. *Sollicite*. 2. h. t. ubi petenti restitutionem beneficii, non obstat renuntiatio facta post spoliationem. Resp. enim hic sermonem esse de renuntiatione facta primum post spoliationem: unde quia tempore spoliationis adhuc erat in possessione, merito locum habet interdictum *Unde vi*, sicque spoliatus restituitur. Accedit,

quod renuntiatio facta primum post spoliationem, præsumatur non spontanea. « Quia non est verisimile, quod sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiavit spoliatus, » ut loquitur ibidem Pontifex. Notum autem est, quod ea, quæ vi aut metu fiunt, vel sint ipso jure nulla, vel saltem per sententiam judicis rescindenda, cap. II. *De iis quæ vi metusve causa*, cum similibus. Econtra in data conclusione, sicut et in cit. c. *Accepta*. h. t. sermo est de renuntiatione sponte facta, et quidem ante spoliationem, dum quis adhuc quiete possidebat: unde non mirum, quod isthæ renuntiatio censeatur valida, cum sit facta sponte, simulque a possidente: et sic citata jura non contradicunt. Glossa in c. *Super hoc*. §. *Resignationis. de Renuntiat.*, et alia Glossa in cit. c. *Sollicite*. §. *Eum spoliatum*. et Abbas ibid. n. 8. h. t.

96. *Quid, si quis gravi metu coactus renuntiet dominio rei ante spoliationem?* — Fatendum tamen, quod si quis vi, aut metu gravi injuste incusso coactus renuntiet ante spoliationem, possit postmodum, si spoliatur ejus possessione, petere restitutionem: argumento a sensu contrario desumpto ex cit. c. *Accepta*, et notat Abbas ibid. n. 4. h. t. Generaliter enim, quæ vi metusve causa fiunt, vel sunt ipso jure nulla, vel saltem ad instantiam partis læsæ per judicem rescindenda.

97. *Aut post spoliationem omnino sponte?* — Et econtra, si quis post spoliationem omnino sponte, et absque ulla vi aut metu resignet, valere talem resignationem censet Barbosa in d. c. *Sollicite*. n. 4. h. t.; Azorius part. II. lib. VII. cap. xxvi. q. 7. Id ipsum admittit etiam Abbas in c. *Sollicite*. num. 9 et 10 h. t., addens, quod tunc renuntians videatur velle purgare vitium spoliationis, saltem respectu possessionis consequendæ; cum possessio sequatur proprietatem, ubi hæc notoria est, c. *Cum dilectus. de Causa possess.*, cum similibus. Idque vel maxime procedit, quando talis resignatio post spoliationem facta est coram competenti iudice: quia legitima iudicis auctoritas omnem suspicionem violentiæ, ac metus excludit. Azorius cit. q. 7; Flaminus Parisius *de Resignatione*, lib. XIII. quæst. 5. n. 28. allegans communem.

98. *Spoliatus non restituitur, quando post spoliationem inivit pactum cum spoliatore, quod nolit agere possessorio recuperandæ.* — Quæritur V. An dentur alii casus, in quibus fallit regula de restitutione spoliatorum ante omnia faciendâ? Resp. I. Bari plures alios. Sic

quippe fallit ulterius sæpe dicta regula, quando spoliatus post spoliationem inivit pactum cum ipsomet spoliatore, quod nolit agere possessorio recuperandæ. Nam post tale pactum non est restituendus: et, si agens possessorio restitui petat, removetur exceptione talis pacti. Ita Glossa in c. *Ex insinuatione*. §. *Aliud canonicum. de Procurat.*; Abbas in cit. c. *Sollicite*, nu. 16. h. t.; Innocentius. c. *Super hoc, de Renuntiat.*; Alexander consil. 93. n. 5. lib. V; Menochius d. remed. 1. *de Recuperand. possess.* n. 281, citans insuper Rotam decis. 16. tit. *de Restitut. spolia. in novis*, et alios quamplures. Ratio est, quia pacta esse custodienda, et ea quæ promittuntur opere complenda, textus est in cap. 1 et III *de Pactis*; et comprobatur ipsum jus naturale. Et licet de rigore juris civilis ex pacto nudo non detur actio, datur tamen exceptio, l. *Juris gentium*. § *Sed cum nulla*. ff. *de Pactis*.

99. *Non valet tale pactum ante spoliationem inivit, bene tamen post; et cur?* — Dices: Non valet pactum ante spoliationem inivit cum spoliatore, quod quis nolit agere possessorio recuperandæ, text. clar. l. *Si unus*. §. *Pacta*. ff. *de Pactis*; ergo nec valet tale pactum post spoliationem. Resp. neg. consequent. Nam ejusmodi pactum ante spoliationem inivit daret ansam delinquendi, et animaret homines ad spoliandum; ac proinde veluti continens turpem causam, merito reprobatur a jure, et non valet. Secus dicendum de pacto non agendi possessorio, seu remissione talis juris post spoliationem: quia hæc dumtaxat respicit rem familiarem, dum per ipsam fit renuntiatio super jure agendi possessorio, quod competit spoliato; non autem datur ansa de novo delinquendi, sive dolum committendi, quod cederet in offensam Dei, ac in perniciem reipublicæ. Hinc in cit. l. *Si unus*. § *Illud*. et § *Pacta*. ff. *de Pactis*, recte dicitur non valere: « Si paciscar, ne furti agam, vel injuriarum, si feceris: expedit enim timeri furti, vel injuriarum pœnam: sed post admissa hæc pacisci possumus. » Ubi Glossa §. *Possumus*. breviter dat rationem hujus, illis verbis. « Quia per hoc non publico, sed juri nostro renuntiamus, quod fieri potest; » ut l. penult. C. eod.

100. *Neque restituitur spoliatus, qui post spoliationem sponte juravit, non agere possessorio recuperandæ.* — Resp. II. Fallit insuper eadem regula propter exceptionem juramenti. Nam quando spoliatus post spoliationem,

etiam secluso alio pacto, sponte juravit non agere possessorio recuperandæ, neque molestare spoliatorem seu possessorem, amplius non restituitur ante omnia, sed obstat ipsi exceptio talis juramenti. Ita Abbas in d. c. *Sollicite*. num. 16. h. t.; Alexander cit. consil. 93. n. 5. lib. V; Zasius in § *Nihil commune*. n. 55. ff. *de Acquir. possess.*; Menochius, ubi supra, n. 287, citans Rotam decis. 16. tit. *de Restit. spoliati. in novis*, et alios. Et hoc præter illa, quæ in fallentia præcedenti allata sunt, probatur ulterius ex eo; quia tale juramentum potest servari absque dispendio salutis æternæ; ergo est servandum, c. *Ad nostram*. 7. et c. *Si vero*. 8. *de Jurejurand.* ac notat Glossa in c. *Pervenit*. §. *Posse constringi*. eod.

101. *Solvitur instantia.* — Nec obstat cit. c. *Sollicite*. 2. h. t., uti petenti restitutionem non obstat exceptio juramenti, seu renuntiationis juratæ post spoliationem. Resp. enim, in cit. c. *Sollicite* sermonem esse de juramento facto post spoliationem, ac respiciente possessionem spoliati, quam amplius non habeat spoliatus, sicque nec huic renuntiare poterat; simulque de tali juramento, quod præsumitur præsumptione juris non fuisse spontaneum. Secus est in præsentia fallentia, ubi sermo est de juramento, quod quidem fit post spoliationem, non tamen respicit possessionem spoliati, sed cadit dumtaxat super jus non agendi; simulque supponitur esse spontaneum, ac præsumptionem in contrarium purificari vel per confessionem spoliati juramentum hoc emittentis, vel per publicum instrumentum desuper confectum, aut saltem per hoc, quia contra tale juramentum nihil opponitur. Abbas cit. num. 16.

102. *Regula illa, Spoliatus ante omnia restituendus est, fallit ob exceptionem excommunicationis, vel alterius criminis.* — Resp. III. Fallit etiam sæpe dicta regula ob exceptionem excommunicationis, vel alterius criminis, reddentis personam spoliati inhabilem ad agendum, vel ipso jure inducentis privationem spoliati ac possessionis ejus. Sed de his criminibus exceptis, et in quibus locum non habeat dispositio c. *Item non quis*. 6. h. t., volentis quod non obstat exceptio criminis agenti interdicto *Unde vi*, jam dictum est superius § 3. n. 50 et 51 ac seqq.

103. *Dantur aliæ fallentia dictæ regulæ. Remissive.* — Tacentur nonnullæ aliæ fallentia illius regulæ, « Spoliatus ante omnia restituendus est. » Nam præmissæ sunt princi-

paliores, de quibus, et quibusdam aliis, fu-
sissime tractat Menochius cit. remed. 4. *de*
Recuperanda possessione, per totum.

§ V.

DE DIVISIONE FRUCTUUM, HORUMQUE RESTITUTIONE
PER SPOLIATOREM, AUT MALE FIDEI POSSESSOREM
FACIENDA.

104. *Fructus generatim, qui? Beneficiorum*
ecclesiasticorum collatio continetur inter fructus.
— Quæritur I. Quid intelligatur nomine fruc-
tuum? Resp. I. Generatim loquendo *Fructus*,
a ferendo sic dicti, appellantur illi, quos fun-
dus, vel quælibet alia res fert, seu reddit. Et
in tali tam generica seu ampla acceptione,
Fructuum appellatione continetur etiam col-
latio beneficiorum ecclesiasticorum, utpote
quæ inter bona episcopalia, et fructus com-
putatur, juxta Glossam fin. in c. *Cum olim*.
14, *de Majorit. et obed.* Hac ratione pariter
dicuntur *Fructus* mensæ episcopalis, hoc est,
redditus ipsius, quos videlicet solet annua-
tim ferre. Sed magis loquendo ad proposi-
tum,

105. *Fructuum appellatione in jure, qui ve-
niant?* — Resp. II. *Fructuum* appellatione in
jure intelliguntur illi, qui supersunt «deduc-
tis impensis, quæ querendorum, colligen-
dorum, conservandorumque eorum gratia
fiunt.» Ita loquitur textus expressus in l. *Si*
a domino, 39, § fin. ff. *de Petition. hereditat.*;
eo addito, quod hoc non solum in bonæ fidei
possessoribus locum habeat, verum etiam in
malæ fidei, puta in prædonibus. Id ipsum
tradit Glossa in c. *Gravis*, §. *Fructus*, h. t.,
estque communis.

106. *Obligatio restituendi fructus rei alienæ,*
qualiter intelligenda? — Infertur proinde,
quod dam dicitur quempiam, puta injustum
rei alienæ spoliatorem, teneri præter rem
ipsam restituere omnes ejus fructus, id de
illis dumtaxat fructibus, qui supersunt ne-
cessariis impensis, intelligendum sit: non
autem includendo ipsas expensas, quæ factæ
fuerunt, ut puta respectu frumenti in arando,
liturando, et conducendo aut conservando
horreum, in quo reconditum fuit. Glossa in
cit. l. *Si a domino*. §. *Querendorum* et seqq.
Neque enim potest censeris fructus, nisi quod
superest expensis, computando simul pretium
impensi in cultura rei alienæ.

107. *Fructus alii sunt naturales, alii indus-
triales.* — Quæritur II. Quotuplicis generis

sint fructus? Resp. I. Fructus alij sunt natu-
rales, alij industriales. Ita Glossa in d. c. *Gra-
vis*, §. *Fructus*, h. t. et alia Glossa in l. *Et ex*
diverso. §. *Non habendam*. ff. *de Rei vindicat.*
et doctores communiter: quamvis Abbas in
cit. c. *Gravis*, n. 3, h. t., et Bartolus l. *Et*
ex diverso, §. *Ultimo*, ff. *de Rei vindicat.* et
Alexander Imolensis lib. IV, consil. 56, n. 9,
ac Menochius *de Recuperand. possess.* remed.
15, n. 576, addant tertiam fructuum speciem,
videlicet fructus civiles, ut sunt usuræ, pen-
siones domorum, navium vecturæ et obven-
tiones, ac his similia.

108. *Fructus civiles non constituunt tertium*
fructuum speciem, sed reducuntur ad industria-
les. — Verum fructus isti, quos alij vocant
civiles, commode reducuntur ad industriales,
hoc ipso, quod magis industria hominum,
quam natura proveniant; prout sentit Cowar-
ruvias lib. I. *Var. resolut.* cap. III, n. 6, citans
Aretinum consil. 100; Mynsinger, §. *Si quis a*
non domino, n. 7. Institut. *de Rer. divis.*; Gard.
Tuschus litt. F. concl. 485, n. 1 et seqq.
Quinimo Baldus in l. *Si traditio*, in fin. C. *de*
Actio. empt. hosce fructus vocat industrialis-
simos, eo quod hominis industria in navibus,
vel ædibus locandis impensa proveniant, et
sine tali industria non habeantur. Et hinc
Menochius lib. II. *de Arbitrar. judic.*, casu
210, n. 27 et 29, revocat priorem suam sen-
tentiam, qua cit. remed. 15, *de Recuper. pos-
sess.* n. 576, admiserat tertiam illam speciem
fructuum civilium: et credit commentitiam
esse denominationem hanc, cum nullo jure
probetur, ac negari non possit majorem in
his industriam hominis versari, ac in cæteris
fructibus. Itaque dimissa fructuum civilium
specie, sive ipsa ad fructus industriales re-
ducta,

109 et 110. *Fructus naturales, et fructus in-*
dustriales, qui? — Fructus naturales sunt illi,
quos natura sua sponte producit, nihil aut
parum cooperante industria hominis: ut
poma, ficus, nuces, cerasa, fenum, ligna et
hujusmodi, quæ vi ac beneficio naturæ prin-
cipaliter, non diligentia et opera hominis
proveniunt, arg. l. *Fructus percipiendo*, ff. *de*
Usuris. Ubi idcirco pomum censetur esse
fructus naturalis, «quia non ex facto hominis
is fructus nascitur.» Licet enim in hisce
colligendis, aut etiam plantandis arboribus,
requiratur aliquis labor hominis, atque in-
dustria ipsius, hæc tamen modica est re-
spectu naturæ, quæ totum ferme agit.

Fructus industriales econtra dicuntur illi,

qui diligentia et cura hominis proveniunt,
l. *Bonæ fidei*, § 1, ff. *de Acquir. rerum domin.*
Sive, qui proveniunt ac percipiuntur potius
ex industria hominis, quam ex ipsa natura:
ut segetes sive frumenta, utpote quæ non nisi
opera hominis, sive excolendo terram, atque
serendo acquiruntur; prout exemplificatur in
d. l. *Fructus percipiendo*. Idem dicendum de
vino, oleo, ac similibus, arg. l. *Si ejus*, ff. *de*
Rei vindicat. ubi vinum et oleum, clare dis-
tinguuntur ab uvis et olivis, sicque ob novam
formam, quam eisdem homo per expressio-
nem sua industria tribuit, §. *Cum ex aliena*.
Institut. *de Rer. divis.* inter fructus indus-
triales connumerari merentur, haud obstante,
quod uvæ et olivæ, ad instar pomorum pos-
sint dici fructus naturales. Menochius *de Ar-
bitrar. judic.* cit. casu 210, n. 21 et seqq.
quamvis card. Tuschus cit. concl. 485, n. 4,
allegans Bartolum consil. 125, n. 2, lib. I,
olivæ numeret inter fructus industriales, eo
quod hominis industriam requirant.

111. *In dubio quales sint, judicis arbitrio id*
discutiendum. — Cæterum loquendo de aliis
fructibus, in quibus non satis per leges de-
terminatum reperitur, an sint naturales, vel
industriales, id relinquitur judicis arbitrio:
qui tum ex allatis exemplis motum animi sui
informare potest, arg. l. *Non possunt*, ff. *de*
Legib.; tum circa casus particulares attendere
debet, utrum in hujusmodi fructibus produ-
cendis plus valeat industria hominis, quam
ipsa natura, vel econtra. Si enim magis in
illis versetur industria hominis, erunt indus-
triales, si vero magis natura, dicentur fructus
naturales, arg. l. *Queritur*, ff. *de Statu ho-*
min. et can. *Si testes*, §. *Hermaproditus*
3, q. 4; Abbas in c. *Gravis*, n. 3, h. t.; Co-
varruvias lib. I. *Var. resolut.* cap. III, n. 6;
Menochius d. casu 210, n. 20, et alij.

112 et 113. *Lac et lana in pecoribus, etc., an*
sint fructus industriales, vel naturales? — Hinc
fit, quod inter fructus industriales non pauci
doctores numerent lac et lanam in pecori-
bus; ut Glossa §. *Si quis a non domino*, §. *Cura*.
Institut. *de Rer. divis.*; Abbas cit. n. 3; Barto-
lus l. *Et ex diverso*, n. 2, ff. *de Rei vindicat.*;
Ant. Nebrissensis in *Vocabulario juris*, §. *Fruc-*
tus industriales; Menoch. cit. casu 210, n. 25,
et quidam alij: eo quod non conveniant absque
magna cura hominis, qui nisi diligenter cus-
todiret et pasceret oves, nec lac nec lanam
ab his acciperet. Econtra vero Menochius
d. remed. 15, *de Recuperand. possess.* n. 577;
Mynsinger d. §. *Si quis a non domino*, n. 7.

Inst. *de Rer. divis.*; Spiegelius in *Lexico*
juris, §. *Fructus naturales*, et quidam alij, lac
et lanam pecorum inter fructus naturales
connumerant. Et hoc ipsum de fœtibus ani-
malium, ut hædulis, agnis, vitulis, plerique
doctores tenent, quod nempe spectent ad
fructus naturales; cum magis ex natura,
quam hominum industria proveniant.

Verum hoc non posse universaliter affir-
mari, sed id juxta diversas locorum qualita-
tes, et circumstantias, judicis arbitrio fore
determinandum, inquit Joan. Garcias tom.
XVII *Tractatum*, tract. *de Expensis et me-*
liorat., cap. XXIII, n. 8. Nam alicubi oves, in
sylvis et montibus absque cura hominum va-
gantur, concipiunt et pariunt; sicque merito
eorum fœtus censentur esse fructus naturales.
Alibi vero id non accidit absque magno labore
et industria hominis, qui eas in stabulis cus-
todire, ad pascua deducere, ipsaque pascua
juxta illarum genium atque indigentiam mu-
tare, pluraque alia præstare cogitur: ubi
proin merito fœtus talium animalium inter
fructus industriales numerari valent. Idem
dicendum de herbis, quæ alicubi sponte
nascuntur, alicubi magnam hominis indus-
triam et culturam, ut nascantur, requirunt;
prout præsertim videre est in hortaliis.

114, 115 et 116. *Fructus percepti, et fructus*
percipiendi, ac fructus consumpti, qui? —
Resp. II. Insuper fructus alij sunt percepti,
alii percipiendi, seu adhuc pendentes: ex
perceptis vero alij sunt consumpti, alij non
consumpti. Ita communis: et quidem fructus
percepti, non solum dicuntur illi, qui per-
fecte sunt collecti; veluti, qui jam conjecti
sunt in horreum: sed etiam, qui industria
hominis sunt a solo separati, licet nondum
sint in horreis, vel cellariis reconditi, l. *Si*
usufructuarius, ff. *Quibus modis usufructus*
amitt., ubi dicitur, «Fructum percipi spica,
aut feno caso, aut uva adempta, aut excussa
olea, quamvis nondum tritum frumentum,
aut oleum factum, vel vindemia coacta sit.»
Secus dicendum de ea olea, quæ per se de-
cidit, ac proin absque hominis industria se-
paratur a solo, sicque nondum inter fructus
perceptos numerari meretur; prout in cit.
l. *Si usufructuarius* subjungitur.

Fructus percipiendi dicuntur illi, qui adhuc
pendent, bonisque aliis connexi adherent.
Et tales fundo cedunt, fundumque sequun-
tur; ac proinde una cum fundo (deductis
tamen impensis) restituendi sunt: nam « fruc-
tus pendentes, pars fundi esse videntur, »